

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

rant, ea prophetarum oraculis comprobantur.
 Et quid est quod isti homines dubitant, an in veteri testamento idem fuerit euangelium? certe si Christum etiam in veteri testamento mediatorem fuisse crederent, non haberent, quod negarent. Hoc qui nititur fundamento, omnibus obiectionibus facile obuiam ibit. Christum autem fuisse mediatorem veteris testamenti, satis nostrates probatum dederunt; conf. *Act. X. 43.*

§. VI. Atque hoc euangelium Spiritus sanctus non sine pondere & emphasi insigni vocauit *bonam fragrantiam*, seu *suauem odorem*. Quemadmodum enim (1.) odoramentum ex optimis conficitur aromatibus, ita quoque euangelium Iesu Christi quoad materiale constat donis & bonis spiritualibus. * Gratiam DEI enim gratuitam nobis proponit, Christum cum merito suo, qui Patri suauissima est oblatio, ut caput summum exhibet. (2.) Pro ut effectus testantur de thymiamate eiusque virtutibus, ita quoque effectus, qui in euangelio adsunt longe vberimi, de eo eiusque virtute
 satis

* Vnde tam egregia sortitum est nomina, vid. Io. Gerhard in *LL. theol. part. III. loc. de euangelio.*

fatis testantur; &, vt paucis plura complectar, eos tum priuatiue tum positiuè experimur. Priori modo pellit foetorem iniquitatis ex peccatis coram facie DEI ortum, commonstrando, fugiendum esse peccatum cane peius & angue, &, si commissum est, abluendum esse sanguine agni mactati, vt in communionem cum DEO perueniamus, *I. Iob. I. 7. seq. coll. com. 1.* Pellit mortem spiritualem; & quoniam verbum vitæ est, a Christo qui fons omnis vitæ est, proficiscens, viuificat omnes, qui illud recipiunt, *Iob. VI. 68.* Posteriori modo operatur, corroborando imbecilles & vacillantes, vires per Christum partas offerendo, *II. Petr. I. 3.* desperabundos & morti vicinos erigit, & consolatur, ne animum abiiciant, incitatque vt Christo viuamus, mundo crucifixi moriamur, & suauem virtutum odorem edamus coram impiis. (3.) Tandem operandi modus in suffimento occurrit animaduertendus. Subito per nares irruunt particulae odoriferae, ac cerebrum, spiritus animales mouendo, iucundatitilatione afficiunt. Ita quoque sese res habet in euangelio. Velocissime enim penetrat & mentem ferit; imo imperuestigabilis est modus

in contrariis ad h. l.

dus operandi, adeo, ut, ἐνέργειαν quam illu-
 minando, conuertendo, & sanctificando ex-
 ferit in hominum animis, admirari magis quam
 penetrare possimus. Egrege admodum hac
 de re B. HVNNIVS loquitur: * *Admini-
 strant Doctores & Pastores euangeliorum, euan-
 gelium, ut fiat oblatio auditorum suorum acce-
 ptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum. At-
 que sic cedit hominibus ad refectiorem anima-
 rum, dum spiritualiter in peccatis mortui, hoc
 odore euangelii doctrinae viuificantur, dum pec-
 catorum sensu in animi deliquium lapsi recrean-
 tur, efficaci fragrantia promissionum euangeli-
 carum, utpote quae continent verba vitae.*

§. VII. Ratione originis recte euange-
 lium dicitur ἐὺωδία χριστοῦ. Quemadmodum
 enim aromata odorem fragrantem edere solent,
 ita Christus odorem edit longe fragrantissi-
 mum, euangelium diuinae veritatis & gratiae
 plenum. Quare Iesaias de eo dicit *cap. XI. 3.*
*odorari eius erit in timore Domini; quod prae-
 cipue factum, quando seipsum tanquam sacri-
 ficium DEO obtulit, ut placaret Numen per*
homi-

* in comment. ad h. l.